

rursus mulierem, num. scilicet 21 et 22, num. 23, virum, num. 24, mulierem ac dæmoniacos liberatos memorat.

Lib. iv, cap. 1, num. 7, memorat dæmoniacum curatum per stolam qua S. Pater in missa usus fuerat. Alterum, lib. vi.

Monachum a diabolo agitatum ad instar dæmoniacy liberat, lib. ii, num. 7.

Feminam ab incubo dæmone mirabiliter liberatam memorat, lib. ii, cap. 6, num. 34 et 35.

A maleficiis virum liberat, lib. i, cap. 10, in fine.

His adde, quod narrat lib. ii, exordii ordinis Cisterciensis, cap. 7, item traditio. Vocatus S. Pater ab Innocentio II. Romam, in fine schismatis dæmonem, cujus insidiis rotam curru vectus fregerat, ejusdem rotæ fractioni miraculo substituit.

78. Sequuntur quædam miracula, ad gratiam sanitatum non pertinentia, ex quibus constabit, Bernardum et elementis, sed bestiis, etc., per miraculum imperasse.

Pluvium procurat miraculose nondum religiosus, lib. i, cap. 3, num. 14.

Miraculose vires obtinet ad laborandum, cap. 4, num. 14.

Subvenit penuriæ suorum per miraculum, cap. 6, num. 27.

Annonam multiplicat, cap. 10, num. 49.

Epistolam scribit in imbre sine imbre, cap. 11, num. 50.

Indignus non potest deglutire eucharistiam, orante S. Patre, qui eum indignum noverat: sed confessus ipsi, sine difficultate deglutivit, num. 51.

A multitudine muscarum oratorium purgat, eas excommunicando (improprie scilicet, juxta alibi dicta), num. 52.

Equum indomitum ante suos pedes facit stare, cap. 13, in fine.

Donum lacrymarum subito impetrat cuidam Nicolao, cap. 14 num. 68.

Gaufrido de Perona nimia tristitia afflicto impetrat subito spirituales consolationes, lib. iv, cap. 3, num. 16.

Victoriam impetrat duci Ranulpho, lib. ii, cap. 7, num. 44.

Item duci Theobaldo, ibidem in fine lib. ii.

Item Portugallensibus contra Saracenos. Ita habet Medulla Vitæ ejus.

Dentem ex capite B. Cæsarii miraculose extrahit, lib. iv, cap. 1, num. 1.

79. Cum lues grassaretur in animalia bruta, benedixi sal, et apponi ipsis jussit, et protinus lues cessavit. Quod in aliis, ait, quoque monasteriis viderimus et cognovimus, etc., cap. 4, num. 28.

Aliquoties fugientem, et, ut videbatur, protinus capiendum vel lepusculum a canibus, vel aviculam ad accipitribus, signo crucis edito, mirabiliter liberavit; dicebatque sequentibus, frustra sese conari,

(8) Vide comment. præv. num. 111.

A nec ullatenus, se præsentem, ejusmodi exercere posse rapinam: nempe abhorrebat ab ea vir mansuetus, lib. iii, cap. 7, num. 27.

Aquam mutat in vinum, lib. vi, cap. 17.

Candelam sine igne miraculose accendit; num. ii, epistolæ in fine lib. vi.

Rigor et inflexibilitas æris, teneritudini digiti ejus cedit, lib. vii, cap. 27.

Benedictio ejus panem ab omni corruptione multis annis vindicat, quod et ipse Eskilo Danorum archiepiscopus minus confidenti promittit, lib. iv, cap. 4, num. 24 et 25.

80. Sequuntur quædam conversiones non sine miraculo factæ. Cæteræ, teste etiam Alexandro II, in bulla canonizationis S. Patris, sunt innumerabiles.

Non dubito quin miraculosa fuerit conversio illorum amplius quam triginta sociorum, cum quibus Cistercium est ingressus, certe aliquorum, lib. i, cap. 3.

Huic adde conversionem suæ sororis, cap. 6, num. 30.

Nobilium cohortem militum per potum benedictum convertit, facitque omnes monachos, cap. 11, num. 53.

Ducissam Lotharingæ convertit. Viderat illa in somnis Bernardum serpentes septem horribiles de utero suo manibus propriis extrahentem, etc., cap. 14, num. 68.

Convertit miro modo Guillelmum Aquitanie ducem, postea sancte mortuum, lib. ii, cap. 6, num. 38. Item Petrum, Pisanum, cap. 7, num. 45 et 46. Victorem antipapam, num. 47.

Item venerabilem quemdam clericum Mascelinum, lib. iv, cap. 3, num. 14.

Item Henricum Germanum regis Gallie, lib. iv, cap. 3, num. 15.

81. Item Andream quemdam miro modo præ cæteris jam dictis contra nitentem, ibid.

Item Gaufridum de Perona cum variis aliis, num. 16. Item illius patrem, virum nobilem et potentem num. 17.

Item nobilem virum Henricum de Salinis, cap. 8 num. 49.

D Clericos obstinatissimos convertit, num. 3, epist. post lib. vi.

Item populum Albigensem obstinatissimum in hæresi Henriciana, ibid., num. 10.

Item monachum dubium circa veritatem Eucharistiæ, in sua fide jubet communicare, et convertit, lib. vii, cap. 6 (8).

Varios clericos Parisienses ad religionem convertit, cap. 13.

Latronem a crucis supplicio liberat, et sanctum facit, cap. 15.

Blasphemum suum a morte suscitatum convertit, cap. 19.

82. Alexandrum canonicum et doctorem Colonien-

sem per piscem ipsi oblatum, et prius benedictum, A religiosum facit, cap. 20.

Sacerdotem concubinarium et monachum apostatam convertit, cap. 21 (9).

Item monachum tertio apostatantem, cap. 25.

Hæc breviter de conversis a S. Patre, quorum conversio non tam exemplum, quam miraculum venit reputandum, ut videre est suis locis: unde merito Gerson, doctor et cancell. Parisiensis: « Inter miracula, ait, serm. de S. Bern., præcipua ego illa deputo, quæ egit in conversione illorum, qui etiam converti toto nisu fugiebant. » Sed tales pro maxima parte jam allati erant.

83. Constat et nonnullos viro sancto obstinate resistentes divinitus fuisse punitos. Inter alios Ramnolphum quemdam Doratensem abbatem, lib. ii, B cap. 6, num. 33.

Varios a dæmone possessos, num. 36.

Petrum Leonis antipapam, cap. 7, num. 47.

Hujus fautorem, Gerardum Engolismensem, cap. 6, num. 39.

Gaufridum comitem Andegavensium, lib. iv, cap. 8, num. 13.

Girardum quemdam clericum, lib. iv, cap. 4, num. 23.

Item Thomam de Beverla, quem ipse S. Pater testatur, subita et horrenda morte præreptum, epist. 108, num. 3.

Transeo reconciliationes varias, ab eo non sine miraculo factas inter privatos et publicos, inter reges et principes, inter civitates et civitates; inter C eos et Ecclesiam; inter episcopos et clerum: ita ut merito vocetur angelus pacis.

(9) Vide supra, numero 50.

DONATIONES PIÆ

TEMPORE S. BERNARDI CLARÆVALLENSIBUS FACTÆ.

Quæ numeralibus notis 1, 2, 4, 7, 9, 10, 11 prænotantur, nunc primum in lucem prædeunt. Has nobiscum perhumaniter communicavit D. RIBIERE DE JUBENVILLE, Scholæ chartarum alumnus.

I.

JOCERANNUS IMMUNITATEM DECIMARUM. (Cartulaire de Clairvaux, *Grangia-Abbatie*. IV^a. — Anno 1121.)

In nomine summe et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, Ego Jocerannus, Lingonensis ecclesie nutu Dei episcopus; cum in ejusdem matris basilice gremio una cum Archidiaconis nostris et multis aliis religiosis personis, presente etiam Domino et patre nostro Lugdunensium Primate Humbaldo, cum suorum comitatu reverentissimo, de statu et ordinatione ejusdem ecclesie unanimiter tractarem, venit ante nostre presencie optutus domnus Bernardus, monasterii Clarevallis,

84. Numera nunc miracula in particulari recensita, et invenies sexcenta septuaginta sex. Verum hæc esse pauca respectu eorum, quæ in particulari non sunt recensita, modo ex dictis constat et confirmabitur articulo sequenti, in quo R. D. Pastor, antea laudatus, ostendit miracula S. Bernardi esse innumerabilia. Manricus autem ad annum Christi 1183, cap. 4, hæc scribit in rem nostram, oblata sibi opportunitate agendi de libro *Miraculorum invento a Petro Monoculo abbate, de qua re exstat narratio Herberti superius in principio libri sexti, et quam allegatus Manricus ex eodem auctore etiam recitat*:

85. « Invenio, inquit, num. 5, notatione dignum circa hunc librum, id quod Ignatius Firminus Fiteriensis observatum reliquit, postquam cum aliis quinque contulisset, et cum Joanne Eremita, simulque cum Exordio atque Cæsario, quibus ex parte argumentum haud dissimile, ultra patrata quasi catervatim, et in confuso velut cum cunctis gustaturis panem, cui benedixit (et erat panum ingens multitudo) repromisit salutem, ex singularibus atque specialioribus, centum et septuaginta supra mille miracula referri, quæ Sanctus fecerit. *Verba ejus, quæ sunt apud Manricum, ita sonant*: « Nam cæcos a nativitate inveni illuminatos 221; mutos locutos, et surdos auditui redditos 180; claudos gressui donatos 126; mancos; et debiles viribus et manibus 184; contractos libero suorum membrorum usui 125; amentes 11; demum tres mortuos luci et vitæ redditos, et sexaginta sanatos ab aliis morbis. »

suris decernimus, mandamus et confirmamus. De possessionibus autem et laboribus eorum precipientes precipimus ut quocumque loco in toto episcopatu nostro nutrire vel agriculture ipsi et familia eorum labores exercuerint decimas suas ipsi habeant, et de manu Lingonensis Episcopi, cui decimarum distributio proprie pertinet, ad sustentationem et receptionem pauperum suorum decimas illas possideant. Si quis tamen presbiterorum qui anteriori dono decimas illas hodie possidet hoc tam legitimum nostre dispensationis donum concedere noluerit, et in tanta cordis duricia perseveraverit, prohibemus tamen successuris ne sibi ab aliquo decimas illas contra nostram auctoritatem posse donari estiment, nec illas ulterius accipere presumant. Si autem venerit ut in aliquibus terris vel locis alii ecclesie, vel monasterio, cenobio et jam vel xenodochio prius ab Episcopo donatis, supradictos fratres laborare contigerit, prout Deus destinaverit, fraterna dilectione requirant, et si habere poterint habeant. Si quis autem contra hujusmodi nostre institutionis paginam temerario ausu agere presumpserit, iram Dei et maledictionis sententiam incurrat: et nisi cito resipuerit cum divite misero infernales penas sustineat.

Ego Humbaldus Lugdunensis ecclesie. Signum Guilenci decani. S. Ayrardi archidiaconi. S. Guarnieri archidiaconi. S. Ego Jocerannus Lingonensis Episcopus. S. Ego Gocelinus Lingonensis ecclesie archidiaconus. Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo XXI. Indictione v. Calixti Pape II anno III. Francorum Rege Lodoico. Lingonensis ecclesie Joceranno Episcopo. Ego Durandus Lingonensis ecclesie notarius ad vicem Fulconis cancellarii scripsi, dictavi et recitavi.

II.

DONATIO GUIDONIS MOLISMENSIS ABBATIS.

(Cartulaire de Clairvaux, *Bellus-Mons.* III. — Anno 1131. — In marg.: *Guido abbas Molismi dedit quicquid habuit in loco qui dicitur Heis.*)

Tempus est juxta Apostolum operari bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei; perinde Ego Guido, per Dei patientiam Abbas monasterii Molismensis, laude et consensu Capituli nostri, laudo devotissime et concedo ecclesie Clarevallensi et fratribus ejusdem loci perpetuo possidendum quicquid omnino hactenus habuimus et de nostro jure fuit in loco qui dicitur Heis, constituto tamen annuo censu XII denariorum, quos illa scilicet ecclesia nostra pro hac donatione reddere curabit quotannis circa festum Sancti Remigii. Quod nostre devotionis donum ut et predictis fratribus perpetuo maneat inconcussum et ceteris omnibus caritatis exemplum, litteris mando et nostro sigillo munio. Signum David prioris, signum Aymonis sub prioris, signum Martini tercii prioris, signum Raingerii camerarii, signum Roberti subcamerarii, signum Galterii cellerarii, signum Roberti subcellerarii, signum Petri de Raveris, signum Enjorranni

capellani. Actum est hoc apud Molisium anno ab incarnatione Domini MCCCXIII, regnante Rege Lodoico, Wilenco Lingonensi Episcopo, et Hugone Duci Burgundie, et Thebaldo Comiti.

III.

REGULARES CANONICI SÆCULARIBUS SUBROGANTUR IN ECCLESIA S. LUPI.

(CAMUSAT, *Promptuarium sacrarum antiquitatum Tricassinæ diocesis*, folio 297. — Anno 1135. — Collatum cum originali.)

..... Contigit, ut divæ memoriæ Teobaudus Comes consultis religiosis viris Hugone Altissiodorensi episcopo, Hattone Trecensico episcopo, bonæ memoriæ Bernardo Clarevallensi Abbate, Guillelmo prædicti Sancti Martini abbate pervigili cura tractaret qualiter ecclesia præfati S. Lupi quæ per negligentiam quorundam a divino cultu torpuisse videbatur et dicebatur ad religionem converteret, placuit memorato principi, præfatisque religiosis viris, consentientibus et universis S. Lupi canonicis ut decessioni secularium fratrum qui tunc ecclesiæ præerant, regulares canonici subrogarentur, ut quod illi minus honeste faciebant, isti solemnius et cum majori devotione Domino deservirent. Igitur anno incarnati Verbi 1135. 3. Cal. Decembris, prædicti religiosi quosdam de ecclesia S. Martini fratres elegerunt, quos in B. Lupi ecclesia sicut dispositum fuerat Domini servituros transposuerunt, qui fuerunt inibi sine proprio Abbate, Guillelmi Abbatris S. Martini regimini et providentiæ respondentes anno uno, mensibus sex, diebus XII. Anno 1137 II idus Junii. Gerardus prior S. Martini prædictis fratribus in abbatem datus est et prælatus, vir miræ simplicitatis et secularium negotiorum ignarus.

IV.

IMMUNITAS DECIMARUM.

(Cartulaire de Clairvaux, *Campigni*, XXXIV. — Anno 1136.)

Notum sit presentibus et futuris quod Dominus Bernardus primus Abbas Clarevallis quesivit et impetravit ab Abbate Molismensi Ebrardo et Capitulo ejus decimam laborum fratrum Clarevallensium de his que laboraverint infra terminum parochie Campaniaci, que antiquitus juris fuisse dicebatur Molismensis ecclesie. Concessum est ergo et litteris istis roboratum ne unquam de laboribus vel nutrimentis eorum quoquo modo, sive per monachos sive per conversos, vel et per mercennarios fiant ad opus Clarevallensis ecclesie, Molismenses vel quilibet pro eis decimas accipiant: sed eas perpetuo sine reclamacione et calumnia Clarevallenses teneant. Factum est hoc anno Domini incarnationis millesimo centesimo tricesimo sexto, in communi Molismensi Capitulo, coram ambobus præfatis Abbatibus, et affuerunt de personis ecclesie Atho prior, et supprior Petrus et Fredericus, et totus conventus.

V.

CHARTA ALPHONSI REGIS.

(*Journal de Trévoux*, Août 1739, p. 1875. — Anno 1142.)

In nomine Dei.

Quoniam decet unumquemque fidelem de bonis sibi collatis a supremo largitore Dei ministros participes efficere, ut per eos celestium honorum participes efficiamur: ideo ego Aldephonsus, miseratione divina Portugalensium rex, noviter, Deo juvante, creatus, quia me plus omnibus debitorem sentio, cupio me et omnia mea Altissimo offerre, ut tam ego quam successores mei in perpetuum regnaturi, agnoscant habere regnum de manu Domini, qui præsentialiter tradidit illud mihi, ut corde firmo et charitate perfecta fidem Christianam ab infidelium injuriis defenderem, et sanctam Ecclesiam de regni redditibus ditarem, ut sic esset regnum sanctum, Deo charum, et in perpetuum stabilitum.

Et quia jam me et omnia mea B. Petro et ejus successoribus vectigalem constitui, cupiens nunc et B. Dei Genitricem apud Deum advocatam habere; de consensu vassallorum meorum, qui absque extraneo adjutorio me in regium solium constituerunt, me ipsum, regnum meum, et gentem meam, et successores meos, sub beatæ Mariæ de Clara-Valle protectionem, defensionem et patrocinium constituo et constituta fore decerno, ordinando et mandando omnibus et singulis successoribus meis, in hæreditatem hujus regni legitime intrantibus, ut singulis annis eidem ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Clara-Valle, quæ est Cisterciensis ordinis, posita in regno Franciæ, in diocesi Lingonensi, tribuant in modum feudi et vassallitii quinquaginta marabittinos auri probati, boni, et digni quod recipiatur. Si vero contigerit per dominum nostrum aliquem hujus monasterii ordinis præfati intrare, vel monasterium inibi construxerit, personæ et res talis monasterii sub tutela et patrocinio regis erunt taliter, quod a nullo possint molestari, inquietari, perturbari, vel a suis bonis defraudari. Quod si contingat, in pristinam libertatem restituantur, quacunque hora temporis vel momenti in quo majori commoditate id fieri quiverit. Quapropter bona talium monasteriorum et personarum erunt quasi bona regalia, et de illis erit regi eadem cura quam de suis debet habere. Si vero rex aliquis vel tyrannus (quem de lumbis nostris futurum non credimus), præfatas personas molestaverit, seu illarum bona subripuerit, non meam aut earum, sed Virginis hæreditatem usurpare se credat, et tanquam domino suo infidelis, sub cujus tutela regnum nostrum committimus, eodem privetur, et semen ejus non elucescat super terram. Fratribus vero in dicto monasterio de Clara-Valle; et aliis sui ordinis, statum regni nostri Deo devote commendare, et animam meam, et parentum meorum missis et vigiliis adjuvare et de feudo seu vassallitio altare B. Mariæ reparabunt. Abbas oero dominus Bernardus et ejus

in perpetuum successores hujusmodi feudum in perpetuum habebunt in die Annuntiationis B. Mariæ Virginis.

Et ideo, Virgo Mater Domini mei Jesu Christi, in cujus laudem hic ordo constitutus micat, ego humiliter servus tuus, Aldephonsus rex Portugalensis, peto quatenus meum regnum defendas a Mauris inimicis crucis Filii tui, et coram hanc ab omni externo dominio liberam conserves, ac de prole mea fideles servos et feudi largitores in regni sede corrobore.

Si quis vero contra hoc vassallitium et feudi testimonium aliquid attentaverit, si vassallus fuerit, a regno nostro expellatur; si vero (quod Dominus non consentiat) rex fuerit, sit a nobis maledictus, et in stirpe nostra non numeretur, et a Domino Deo, qui nobis regnum dedit, omni dignitate spoliatur, et a suis inimicis victus et cum Juda traditore in inferno sepultus.

Facta charta in ecclesia Lamecensi, IV Kal. Maii, anno 1142.

Ego rex Aldephonsus.

Egas curiæ præses confirma.

Petrus Pelaides curiæ signifer confirmat.

Evas Ropinas Colom. præfectus confirmat.

Pelagius de Saura confirmat.

Gondisalvus de Saura protest.

Rosendus Alvar protest.

Alphonsus Egea protest.

VI.

CHARTA SANCLE REGINE.

(MANRIQUE, *Annal. Cisterc.* II, p. 87.)

In nomine Sanctæ et individue Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Quoniam scriptum est: *Declina a malo, et fac bonum; et non sufficit abstinere a malo, nisi fiat quod bonum est. Item: Initium Sapientiæ timor Domini, et, qui timet Deum faciet bona: et, operanti bonum, bene erit in extremis.* Igitur ego Sanctia Alfonsi imperatoris Hispaniarum soror, his, et aliis exemplis præmonita et edocta, spontanea voluntate, nullo cogente, pro redemptione animæ meæ; et parentum meorum, do vobis Domino Bernardo Clarevallensi abbati, hæreditatem sancti Petri de Spina, atque hæreditatem sanctæ Mariæ de Aborridos, scilicet terras, vineas, prata, fontes, montes cultos, et incultos, utrisque exitus et ingressus utrinque, videlicet cum omnibus terminis sibi pertinentibus, quatenus ibidem, me opitulante, in honorem Domini nostri Jesu Christi, ejusdemque Genitricis, monasterium ædificetis in quo vestri monachi, vestrique ordines assidue assistentes, pro suis atque meis, parentumque meorum, atque omnium fidelium, tam vivorum quam defunctorum peccatis, Deum deprecantur. Siquis autem hoc meum donum, tam de meis quam de extraneis prava cupiditate compulsus irritum facere voluerit, hoc

ad effectum nequaquam ducere possit; sed, si contigerit (quod absit!) omnia illa supradicta prius in duplo reddat; ac postea regi, vel cuicumque vestram commiseritis vocem, pectet in quotto mille libras auri purissimi, et insuper sit maledictus, et uti Dathan et Abiron, eum terra absorbeat; atque cum Juda traditore inferni poenas luat. Amen.

Facta charta hujus doni, tertio decimo Kalendas Februarii, era 1134, imperante Alfonso imperatore, cum imperatrice Berengaria in Legione, in Toledo, et in Cæsaraugusta, et in Cordubia, et in tota Hispania.

Ego Sanctia regina supradicta, quæ hanc chartam scribere jussi; coram his testibus roboravi; Dominus Petrus Segobiensis episcopus confirmat. Dominus Loysius Legionensis episcopus confirmat. Dominus Petrus Palentinæ sedis episcopus confirmat.

Gutier Fernandes confirmat.

Martinus Moniez confirmat.

Nicolaus Pelagii confirmat.

Pontius comes de Cabrera confirmat.

Manric comes confirmat.

Comes Amergot confirmat.

Cid testis confirmat.

Belid testis confirmat.

Duaya testis confirmat.

Omnes testes meæ curiæ visores, et auditores hujus dationis.

VII.

CHARTA THEODERICI FLANDRIÆ COMITIS.

(Cartul. de Clairv., *Comites Flandriæ*. I. — Anno 1142.)

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Ego Theodericus, Dei gratia Flandrensium comes, utilitati et paci ecclesiarum pro bona voluntate prospiciens, votis religiosarum personarum me concordare debere justisque petitionibus assensum prebere non solum honorificum immo in Deo animæ meæ fructiferum fore perpenti, perpendens opere id in lucem ponere deliberavi.

Venerabilis igitur et piæ memoriæ abbas Clarevallensis Domni Bernardi merito sui per secula commendandi piis postulationibus devote et benivole occurrens annuere volui et in perpetuum contradidi, ut per totam terram et omnes transitus meæ ditionis, mei comitatus sive meæ potestatis abbatia Clarævallensis et omnes abbatie de Clara valle egressæ, vel ulterius exituræ, vel etiam ab his abbatibus processuræ, que a Clara vallensibus cenobio sunt progressæ, in eundo et redeundo a theloneo et passagio sint omnimodis liberæ. Quod, quatinus ratum stabile et imperturbatum permaneat, sigilli mei impressione auctoritate et baronum meorum subscriptione confirmare institui.

Testes hujus concessionis Rogerus, prepositus Brugensis; Villelmus, castellanus Sancti Andoma-

rensis; Rodulfus, castellanus Brugensis; Gislebertus, castellanus Bergensis; Balduinus de Baliul; Anselmus de Baliul; Theodericus, camerarius; Walterus Gonela; Hugo de Fareseles; Robertus, abbas de Dunis, frater Osto et frater Robertus, milites templi.

Actum anno dominicæ incarnationis M° C° XL II° Indictione Vª Concurrente IIIª Epacta XXIIª.

(Original en parchemin, conservé aux archives de l'Aube. Le sceau manque; il pendait par lacs de soie. — Au dos on lit en écriture du XIIª siècle:

Theoderici comitis Flandrie de libertate abbatiarum Clarevallensium.

Carta Theoderici, comitis Flandrie de immunitate consuetudinum per totum dominium suum.

Et en écriture du xvª siècle:

Comites Flandrie, prima.)

VIII.

MIROSLAW, E PRIMATIBUS BOEMIE, PERSUADENTE HENRICO MORAVIÆ EPISCOPO, FUNDAT ET DOTAT MONASTERIUM ORDINIS CISTERCIENSIIUM SEDLECENSE.

(BOCZEK, *Cod. diplom. Morav.*, I, 221. — Anno 1143.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis.

Notum sit omnibus Christi fidelibus, tam futuris quam presentibus, quod regnante domino Wladislao Boemiorum duce senerissimo cum uxore sua nobilissima domina Gertrude, quidam de primatibus Boemiæ Miroslaus nomine divino monitus partim timore et amore, salutis suæ volens consulere, cum sæpius et a sapientioribus et ætate provectoribus audivisset, sine cultu vere religionis nec charitatis unitatem posse subsistere, nec Deo gratum exhiberi servitium: Statuit se religiosas personas diligere, et earum quieti, auxiliante Domino, providere. Consideratis ergo sanctorum virorum secundum diversam professionem variis conversationibus, ad unius tamen domus cœlestis Patris mansiones tendentibus, delegit de ordine Cisterciensium aliquot fratres mediatores sibi cum Christo procurare. Hoc ergo pio ac sancto voto de die in diem magis ac magis per gratiam sancti Spiritus incalescente de claustro Walsaxen conventum fratrum sibi impetravit committi. Cujus petitioni sanctæ conversationis venerabilis abbas Gerlacus acclinatus conventum fratrum in Boemiam direxit, quibus sancto desiderio susceptis præfatus dominus Miroslaus, consentiente et attestante prædicto venerabili duce Boemiæ Wladislao, et reverendo Ottone Pragensium episcopo canonica auctoritate confirmante, persuadente etiam et attestante venerabili domino Heinricho Moraviensium episcopo, locum qui dicitur Sedlez cum omnibus quæ attinent, Deo et sanctæ Dei genitrici Mariæ in usus fratrum prædictorum in perpetuum libere dedit. Imprimis siquidem statuens, ut ordo monachicus, secundum beati Benedicti Regulam, et patrum Cisterciensium institutionem perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conservetur,

Succedente ergo temporis opportunitate, divina gratia auxiliante, fundata est in Sedlez ecclesia divino servitio apta, et ei ordini congrua. Cui a primo fundationis suæ exordio possessiones quarum nomina infra continentur, ad usus ipsius ecclesiæ et fratrum ibidem Deo deservientium libere sine ullius reclamatione collatæ sunt: Solnic, Hothonici, Podollani, cum omnibus appendiciis suis; Gradische cum aqua, pratis et silva; Sdebudici. In Pobor, curia cum terra; Odolen et terra Donati. Bilani, Maleionici, Lubenici, Glusow, et Cæcin cum omnibus attinentiis suis usque ad rivulum circa Porram silvam fluentem. Cæterum ut bonum principium finis melior consequatur, præfatus Miroslaus totis visceribus intentus in posterum quoque prædictæ ecclesiæ providere cum unico haberet filium, constituit ut si hic filius sine filio hæderetur, vel etiam in posterum deficiente in linea filiorum hærede sine cognatorum, vel consanguineorum contradictione toto ejus hereditas ad usus ecclesiæ in Sedlez revertatur. Hoc etiam Dersislaus, Miroslai sororis filius, nullum habens filium de sua hereditate constituit. Divino ergo amore inflammatus, tam venerabilis dux, quam reverendi patres episcopi dominus Otto Pragensis, ac venerabilis Henricus Moraviensium episcopi, cujus prudenti consilio Bohemia decorata regebatur decreverunt, ut nulli omnino hominum liceat præfatum locum temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel minuere, vel etiam ullatenus invadere, vel illis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur et illibata permaneant, tam ipse locus, quam possessiones et omnia quæcunque illius loci ecclesia ab initio possedit, aut in futurum, concessione pontificum, largitione principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino poterit adipisci. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularive persona prædictam ecclesiam, vel ejus possessiones inquietare tentaverit, ream se divino judicio de perpetrata iniquitate cognoscat. Cunctis autem jam sæpe dictam ecclesiam, vel ejus possessiones tuentibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructus bonæ actionis percipiant et apud districtum judicem præmia æternæ beatitudinis inveniant. Ut autem hæc constitutionis et privilegii pagina rata permanens omni ambiguitate careat, jam sæpius dicti fideles servi Christi, dux videlicet et venerabiles patres episcopi sigillorum suorum notis confirmaverunt.

IX.

DONATIO HATONIS TRECENSIS EPISCOPI.

(Montieramey. — Anno 1122-45.)

Ego Hato, Dei gratia Trecensis ecclesiæ episcopus, dilectis filiis Guidoni abbati et monachis Arremarensibus imperpetuum. Officii nostri nos hortatur auctoritas religiosa loca diligere et fratres in eis divino famulatu mancipatos rebus ecclesiæ sustentare.

Ea propter, dilecti in Domino filii, pietatis intuitu vestris precibus annuentes dedimus vobis et monasterio vestro, laudante Manasse de Villemauro Archidiacono nostro, vetus atrium de Clareio et capellam que in eodem atrio est, ad petitionem bonæ memoriæ Bernardi Clarevallensis abbatis. Hac tamen lege et tenore ut presbyter Clareii nichil unquam ibidem accipiat, sed ea que viventes illic obtulerint vel morientes dimiserint singulariter monachorum sint. Huic dono probabiles persone interfuerunt predictus Manasses de Villemauro, archidiaconus; Manasses, Rumiliacensis archidiaconus; Odo, archidiaconus; Falco, archidiaconus; Gibuinus, cantor et archidiaconus; Bernardus, Abbas Clarevallensis ad cujus petitionem hæc omnia facta sunt et concessa.

(Original en parchemin, sans date; au dos est écrit: De veteri atrio de Clareio nobis dato.

Le sceau manque; il pendait par double queue en parchemin. Conservé aux archives de l'Aube, fonds de Montieramey.)

X.

AUCTORAMENTUM THEOBALDI COMITIS BLESENSIS DE DONIS JOBERTI DE FIRMITATE.

(Cartul. de Clairvaux, *Comites Campaniæ*, Vª, — Anno 1145.)

Ego Theobaldus, comes Blesensis, notum fieri volo omnibus hominibus tam presentibus quam futuris, quod Jobertus de Firmitate, profecturus Hierosolimam, concessit Deo et sanctæ Mariæ de Clara valle, quicquid habebat in villa Petrecini, nichil omnino retinens vel sibi, vel heredi suo, excepto quod, si rediret de Hierosolimis, illam partem de communi, quam cum aliis tribus ejusdem ville dominis partiebatur, dominationem scilicet in hominibus et justitiam, accipiet, si voluerit, in manu sua, et in vita sua, quamdiu voluerit, tenebit. Post mortem autem suam redibit et hoc ipsum in manum et possessionem prædictæ ecclesiæ. Reliquum vero totum, id est quicquid vel in villa, vel in finagio in sua proprietate tenebat, et non erat ei commune cum aliis tribus, sive viveret, sive moreretur, absque ulla retractatione donavit eidem ecclesiæ perpetuo possidendum. De hac autem donatione investivit apud Firmitatem dominum Bernardum abbatem Clarevallensem, laudante Gertrude, uxore sua, in presentia domni Godefridi episcopi Lingonensium et nostra. Ego vero, de cujus casamento erat, eandem donationem laudavi cum Henrico, filio meo, et inde precepi hanc cartam facere.

Testes sunt hujus donationis: Hilduinus de Vendopera, Walterus de Bernone, Petrus Bursaldus, milites comitis; nec non et Hugo dominus de Belomonte, sororius suus; et Rogerius de Orgiis; et Wiardus de Villa; et Johannes, major ejusdem villæ.